



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus**

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Coloniae Agrippinae, 1645**

Seculum sextum ab Anno 500. ad 600.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)



(vt habet alia lectio) æra 492. id est, anno 454. Fallum quoq; est quod Trithemius scripsit, hunc sanctum Cæsarium floruisse anno 670. & veritas est in medio, peruenit enim ad annum 499. Extant eius homiliae 46. in Bibliotheca SS. Patrum tomo 2. edit. secundæ.

## Seculum sextum ab Anno 500. ad 600.

### De sancto Fulgentio.

SANCTUS Fulgentius Carthaginensis, Episcopus Ruspensis, vir sanctissimus, & doctissimus floruit tempore Transimundi Regis ad quem scripsit libros. Obiit anno Domini 529. vitæ suæ anno 65. Episcopatus autem 25. vt Cardin. Baronius annotat tomo 6. Annalium. Scripsit plura teste Isidoro in lib. de viris illustribus quorum multa perierunt. Extant nunc in editione Antuerpiana anni 1574.

Ad Transimundum Regem, li.	3
De Incarnatione & gratia Christi,	1
Ad Monimum,	3
Contra obiectiones Arianorum,	1
Ad Donatum.	1
Ad Eutyrium.	2
Ad Ferrandi quæstiones,	2
De fide ad Petrum, qui inter libros Augustini, habetur, de quo diximus supra,	1
Epistolæ septem satis prolixæ instar librorum,	7
Denique sermones decem variorum argumentorum, qui soli supersunt, ex multis, quos scripsisse, & habuisse dicitur.	

Edita sunt Parisiis, alia quædam opuscula de veritate prædestinationis, & de Trinitate, quæ ad manus meas non peruenerunt.

### De Andrea Episcopo Cæsarea.

ANDREAS Episcopus Cæsareæ Cappadociæ vir doctus scripsit commentaria in Apocalypsim, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo primo editionis secundæ. Quando vixerit non est omnino certū; sed hoc



loco eum posuimus, quia post sanctum Basilium Episcopus Cæsariensis fuit, eumque sæpe citat ut etiam citat sanctum Cyrillum, & indicat, se scripsisse post inclinationem Imperii Romani, & omnium consensu antiquus scriptor habetur: ex quo Arethas Cæsariensis compendium suum decerpit in Apocalypsim.

*De Ennodio. 503.*

**E**Nnodius Diaconus, & postea Episcopus Ticinensis, claruit tempore Symmachi, & Hormisdæ Pontificum Romanorum, scripsit anno 503. Apologeticum librum pro quarta Synodo sub Symmacho, qui receptus fuit, & probatus à quinta Synodo sub Symmacho: scripsit etiam epistolas, & alia, quæ extant excusa Parisiis in 8.

*De Petro Diacono. 503.*

**P**etrus Diaconus æqualis sancti Fulgentii fuit, ut notum est ex libris inuicem scriptis. Scripsit enim Petrus hic librum de Incarnatione & gratia Christi ad sanctum Fulgentium, & alios Episcopos Africanos: qui liber extat inter opera sancti Fulgentii proxime ante librum sancti Fulgentii de eodem argumento.

*De Ferrando Diacono. 504.*

**F**errandus Diaconus, Carthaginensis eodem tempore scripsit paræneticum ad Reginum Comitem, qui extat in Bibliotheca SS. Patrum tom. 5. edit. secundæ. Scripsit etiam epistolas quæ, extant Romæ impressæ. Scripsit denique breue compendium sacrorum canonum.

*De Eugippio Abbate. 510.*

**E**ugippius Abbas Africanus vixit tempore sancti Fulgentii, & composuit magno labore tomos duos thesaurorum sancti Augustini: in quorum priore posuit quæcunque sanctus Augustinus scripserat de rebus obscurissimis, ut de anima, de charitate, de Resurrectione, de iudicio, de vita ac morte æterna. In posteriore collocavit, quæ sanctus Augustinus disputat contra Arianos, Donatistas, Manichæos, & Pelagianos. Editum est hoc opus Basileæ anno



anno Domini 1542. & Venetiis anno 1543. sed cauendæ sunt insidiæ hæreticorum, qui hoc opus in lucem emis-  
erunt.

*De Marcellino Comite. § 20.*

**M**arcellinus Comes vixit tempore Iustiniani: nam Anno Iustiniani nono & salutis 33. finem imisuit Chronico suo, quod a Cassiodoro valde laudatur libro de diuinis lectionibus cap. 17. extat hoc Chronicum in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 7. edit 2. Scripsit idem Marcellinus, teste Cassiodoro, quatuor libros de Vrbe Constantinopolitana & Hierosolymitana: qui libri (vt opinor) non extant.

*De Ioanne Maxentio. § 20.*

**I**oannes Maxentius Monachus, & vt creditur presbyter Antiochenus, vixit tempore Hormisdæ Papæ, contra cuius epistolam scripsit. Eius opera extat in quarto tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum. Scripsit autem Catholicæ fidei professionem, item libellum contra Acephalos, item dialogorum contra Nestorianos libros duos, item responsum ad epistolam Papæ Hormisdæ, in quibus disputat aduersus Nestorianos, & aduersus Faustum Regiensem Semipelagianum. Et quidem Faustum, & Pelagianos egregie refellit, ex libris sancti Augustini: at Nestorianos ita refellit scribens contra Possessorem Episcopum Africanum, vt ad Eutychnos declinare videatur. Certe sanctus Hormisdæ Papa Possessorem defendit, & Ioannem cum suis Monachis acriter insectatus est. Vide epistolam Possessoris ad Hormisdam, & responsum Hormisdæ in ipso opere Ioannis Maxentii. Scripsit autem Maxentius contra epistolam Hormisdæ negans illam esse Hormisdæ, ne videretur contra summum Pontificem scribere, sed re vera negari non potest, epistolam illam vere esse Hormisdæ.

*De sancto Auito Alcimo. § 20.*

**A**uitus Alcimus Episcopus Viennensis vir nobilissimus, sanctissimus, & doctissimus, floruit temporibus



ribus Papæ Hormisdæ, à quo Vicarius in Galliis constitutus est, vt constat ex epistola Hormisdæ ad ipsum. Multa scripsit & versu & soluta oratione, vt docent Gregorius Turronicus libro secundo cap. tricesimo quarto, & Ado Viennensis in Chronico. Ego solum legi libros quinque metricè scriptos in Genesim, & Exodum, & librum de castitate ad sororem plane grauissimos, & venustissimos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum editionis secundæ tomo octauo.

## De Boetio Seuerino. 520.

**B**oëtius Seuerinus, vir clarissimus, Senator, & Consularis floruit tempore Theodorici Regis Italiæ, nam ad ipsum Boëtium extat epistola Regis Theodorici, quæ est quadragesima quinta libri primi apud Cassiodorum. Scripsit multa de re philosophica, & Theologica, ac vt philosophica omittam, scripsit librum vnum de Trinitate ad Symmachum socerum suum.

Item librum de vnitatis Trinitatis.

Item librum vnum de duabus naturis Christi aduersus Eutychetem.

Item librum vnum, de fide ad Ioannem Diaconum.

Item de consolatione philosophiæ libros quinque partim carmine, partim prosa eruditissimos. Occisus est iussu Theodorici Regis anno Dom. quingentesimo vigesimo primo Papiæ.

## De Dionysio Exiguo. 525.

**D**ionysius Exiguus natione Scytha, sed moribus Romanus, quemadmodum cognomento Exiguus, sed doctrina, & sanctitate maximus, vixit tempore Theodorici Regis Italiæ, & successorum eius: nam anno 527. scripsit cyclum Paschalem, & omissa profana numeratione annorum ab Imperio Diocletiani impii persecutoris, numerare cœpit ab Incarnatione Domini IESU Christi. Scripsit præterea collectionem sacrorum canonum ex Conciliis Ecclesiæ Catholicæ: quem postea imitati sunt Martinus Bracarensis, & Cresconius.

De



*De Victore Episcopo Africano. 530.*

**V**ictor Episcopus scripsit de ratione fidei Catholicæ ad Hunericum Regem Vandalorum circa annum Domini 530. extat eius liber in Bibliotheca SS. Patrum tomo 4. editionis secundæ.

*De Aurelio Cassiodoro. 530.*

**A**vrelus Cassiodorus Senator, & Regi Theodorico ab epistolis fuit. Scripsit eo tempore libros duodecim epistolarum variarum, & chronicum breue ab initio Mundi vsque ad tempora Theodorici Regis Italiae, quæ simul excusa extant, Scripsit etiam libros duodecim de rebus gestis Gothorum, cuius operis compendium fecit Iordanus Episcopus Rauennæ, quod compendium cum libris epistolarum excusum inuenitur. Deinde mundo valedicens, & monachus effectus se rebus diuinis addixit, & tum scripsit:

De Institutionibus diuinarum lectionum lib. duos.

In omnes Psalmos, & in Cantica canticorum Commentaria.

Historiam tripartitam ex libris Socratis, Theodoretii, & Sozomeni, per Epiphanium Scholasticum in latinam linguam conuersis, confecit.

Atque hæc omnia extant. Dicitur præterea à Trithemio Cassiodorus scripsisse in Acta Apostolorum, in epistolas canonicas, & in Apocalypsim Commentaria: præterea, summam diuinæ Scripturæ, quam memoriale scripturarum appellauit, quæ an extent ignoro.

*De Leontio Byzantino. 540.*

**L**eontius Byzantinus Monachus paulo ante quintam Synodum floruisse videtur. Scripsit libros tres contra Nestorianos, & Eurychianos: nec non contra fraudes Apollonistarum, & contra Seuerum, quæ omnia extant apud Henricum Canisium tomo quarto antiquæ lectionis. Extat etiam liber de sectis in Bibliotheca sanctorum Patrum.



## De sancto Victore Capuano. 540.

**S**ANCTUS Victor Capuanus Episcopus vir sanctus & doctus tempore Iustiniani Imperatoris circa annum Domini 55. scripsit de cyclo Paschali, teste Beda de sex artibus, & de ratione temporum cap. 48. Scripsit etiã præfationem in Armoniam Tatiani, qua ex quatuor Euãgelis vnũ fecit, Sed recte Cardin. Baronius monet, tomo secundo Annalium ad annum Christi 174. à Victore Capuano erratum esse in nomine: Ammonii enim, non Tatiani ea Armonia est. Vide Bibliothecam sanctorum Patrum tomo 4. edit. 2.

## De sancto Iusto Orgelitano.

**S**ANCTUS Iustus Orgelitanus Episcopus vixit tempore Iustiniani Imperatoris, scripsit in Cantica canticorum. Exstat hoc opus in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. edit. secundæ. Vide de hoc auctore Isidorum de Script. Eccles. ca. 14. & de viris illustribus cap. 34.

## De Anastasio Sinaita. 544.

**A**NASTASIUS Sinaita Episcopus Antiochenus vixit tempore Iustiniani Imp. vt scribit Euagrius lib. 4. hist. ca. 39. scripsit multa, sed solum extat *ὁδὸς*, id est, dux via contra Acephalos, impressus Ingolstadii anno 1606. & præterea extant in Bibliotheca sanctorum Patrum to. 1. edit. 2. Anagogicarum contemplationum in exameron libri vndecim: & de fidei dogmatibus libri quinque.

## De Aratore. 545.

**A**RATOR Subdiaconus S. R. E. scripsit duos libros carminum, quibus Acta apostolorum complexus est: eos libros Vigilio Papæ obrulit, & publice eodem Papa annuente recitauit: extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo octauo.

## De Iunilio. 545.

**I**UNILIUS Episcopus Africanus, scripsit ad Primasium itẽ Episcopum Africanum libros duos de partibus diuinæ legis, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum editionis 2.



nis 2. tomo, 1. Tribuitur etiam Iunilio Commentariolus in prima capita Geneseos: sed ille non est Iunilii, sed Bede, citat enim sanctum Gregorium, & habetur inter opera Bedæ.

*De Primasio. 545.*

**P**rimasius Episcopus Africanus tempore Vigilii Papæ Constantinopoli fuit cum quinta Synodus generalis celebraretur, ut constat ex collatione secunda eiusdem Synodi: scripsit in epistolas sancti Pauli, & in Apocalypsim non contemnenda Commentaria.

*De Martino Dumienfi, alias Bracarenfi. 560.*

**M**artinus Dumienfis monasterii Abbas ac deinde Ecclesiæ Bracarenfis Episcopus vixit circa annum Domini 572. nam præfuit Concilio secundo Bracarenfi, quod habitum est Era 610. id est, anno Domini 572. sed videtur anno sequente obiisse, ut notat Cardin. Baronius scripsit collectionem Canonum ex Græcis Synodis, quæ extant in tomis Conciliorum post secundam Synodum Bracarensem. Scripsit etiam de quatuor virtutum Cardinalium differentia, & alia, quæ extant in tomo quinto Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ, meminit huius Martini sanctus Isidorus in Catalogo Script. Eccles. ca. 22. & in lib. de viris illustribus cap. 35.

*De Procopio Gazeo. 560.*

**P**rocopius Gazeus sophista, cuius meminit Photius in sua Bibliotheca, scripsit in octateuchum Cōmentaria magis ex aliorum libris, quam ex proprio ingenio: scripsit etiam in Isaiam, quæ extant excusa Parisiis, Græce, & Latine, dicitur etiam scripsisse in libros Regum, & Paralipomenon, quæ opera utrū extrent, ignoro: quando vixerit, non certum est: sed posuimus eum post annum quingentesimum, quia nec sanctus Hieronymus, nec Gennadius neque alii qui scripserunt ante annum quingentesimum, hunc auctorem nominauerunt.

*De Ioanne Climaco. 560.*

**I**oannes Climacus Monachus religiosissimus, scripsit librum triginta graduum, quibus ascenditur ad perfecti-



fectionem, unde ipse nomen Climaci inuenit. Existimant aliqui recentiores illum floruisse anno Dom. 340. sed non putamus id esse verum, tum quia nemo veterum hoc dicit, neque ex ipsius libro id colligi potest, tum quia in eo libro fit mentio sancti Abbatis Sabbæ, qui tempore Iustiani Imp. obiit anno Domini 332. vt refert Card. Baronius tom. 6. Annalium.

*De Dorotheo Archimandrita. 560.*

**D**orotheus Archimandrita scripsit sermones viginti quatuor, qui extant in Bibliotheca sanctorum patrum, tom. 2. edit. 2. Viderur vixisse hic Dorotheus circa annum Dom. 560. cum citet Climacum, & indicet se fuisse familiarem S. Zozimæ Abbati, qui sub Iustino seniore floruit.

*De S. Dacio Mediolanensi. 560.*

**S**anctus Dacius Episcopus Mediolanensis vixit tempore Iustini Imp. teste S. Gregorio lib. 3. dialog. cap. 4. & scripsit Chronicum in cuius chronici lib. 1. cap. 10. tradit Canticum. Te Deum laudamus, compositum fuisse à sanctis Ambrosio, & Augustino.

*De Liberato. 560.*

**L**iberatus Archidiaconus Carthaginensis vixit paulo post quintam Synodum, vt ex eius Breuiario intelligi potest: scripsit enim Breuiarium de causa Nestorii, & Eutycheris: quod Breuiarium extat in 2. tom. Conciliorum & caute legendum est: siue enim ab aliquo deprauatum fuerit, siue ipse auctor, non bene affectus sit historię veritatem, non pauca in eo videntur esse perperam scripta.

*De Venantio Fortunato. 570.*

**V**enantius Fortunatus Episcopus pictauiensis, floruit doctrina, & sanctitate tempore Iustini Iunioris, scripsit vitam sancti Hilarii, quę extat apud Surium die decimo quarto Ianuarii, scripsit plurima carmina sacra, quę extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo octauo, editio-



editionis secundæ, sed in Ecclesia celebrantur maxime illa de sancta Cruce, Vexilla Regis prodeunt: & Pange lingua gloriosi.

*De Euagrîo. 596.*

**E**vagrius Scholasticus scripsit historiam Ecclesiasticam libris sex, ab eo tempore in quo desit Sozomenus usque ad annum 12. Mauricii Imperatoris, id est, ad annum Domini 597.

*De sancto Gregorio Turonico. 596.*

**G**regorius Turonensis Episcopus floruit imperante Mauritio, & sancto Gregorio Papa aliquanto senior fuit: siquidem anno septimodecimo inchoante Episcopatus Gregorii Turonici, Gregorius Papa creatus est & anno 21. completo in Episcopatu suo Gregorius Turonicus obiit: cui supervixit Gregorius Papa annis octo. Itaq; Gregorius Turonicus obiit anno Dom. 596. Gregorius autem Papa anno Dom. 604. Hæc ex Breuiario vitæ S. Gregorii Turonici, & ex vitæ sancti Gregorii Papæ decerpta sunt. Scripsit S. Gregorius Turonicus.

De historia Francorum, lib. 10

De gloria Martyrum, 1

De gloria Confessorum, 2

De miraculis sancti Iuliani, 1

De miraculis sancti Martini, 4

Alia præterea scripsisse dicitur, quæ vel non extant, vel certe ad notitiam meam non perueverunt.

**Seculum septimum ab Anno**

**600. ad 700.**

*De S. Gregorio Papa.*

**S**anctus Gregorius Papa sanctissimus, & doctor eximius, & merito magnus appellatus, floruit Iustini, Mauricii, & Phocæ temporibus, & anno 14. pontificatus sui, salutis autem 604. obiit. Scripsit:

Moralis expositionis in Iob, lib. 38

L 5 De